

Collegii Gedanensis Soc. Jesu Leo gentilitius Illmi et Generosi Dni Francisci Grata —

LEO GENTILITIUS

ILLUSTRIS ET GENEROSI DOMINI,

DOMINI

FRANCISCI

GRATA,

Equitis Poloni, Tribuni Militum,

Victoriosissimo

SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ VENETÆ

LEONI,

Post expugnatam armis Peleponnesum,

SUÆ & ILLIUS GLORIÆ,

TRIUMPHALIS VICTIMA,

Glorioso ad Corinthum conflictu, mœstissimorum

FRATRUM

ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS DOMINIS,

DOMINIS

PAULI GRATA,

Præfecti Stabuli Ducatûs Livoniæ, Generalis Administratoris Postarum Prussiæ, S. R. M. Aulici;

&

ALEXANDRI GRATA,

Equitis Poloni,

Solatiis:

In Heroica COLLEGII GEDANEN. *SOCIETATIS JESU*

POESI

redivivus.

ANNO

Victoris Leonis de tribu Juda.

M DC XCI.

Typis OLIVÆ.

In Gentilitia Arma

ILLVSTRIVM ET GENEROSORVM DD.

GRATA.

Magnanimâ gemini ſubnixi mole LEONES
Ingentem fertis quid ſuper ora Globum?
Terrarum Globus eſt, grandes cui ſubditis ungues
Atque locuturo panditis ora modo:
Dum vobis geminos it nuntia fama per axes,
Ipſe, quod â vobis audiat, Orbis habet.



Regiones aliquando [ipsosmque terrarum [orbem] di-

Illuſtres & Generoſi Domini,

DOMINI.



VNà Vobis Heroem & Orbem, afferimus: ut jam minùs ſit, Babylonem una Turri, Alexandriam uno [a] Cive plenam fuiſſe, quàm unum, ipſo cum Orbe Heroem permiſcere. Atque hic eſt immortalis memoriæ *Frater Veſter*, Cujus militaria ſtudia & perpetua vincendi felicitas, nonniſi Regnorum ſaluti, integritati populorum conſecrabantur. Neque enim tunc cùm uni tantùm Regno, gentique bellum indiceretur, arma auſpicatus eſt, ſimul cùm Oriens Occidenſque armaretur, pro totius generis humani libertate, in prælium conſpiravit. Non ad unius Trojæ, ſed quo mundus conflagrare poterat adfuit incendium [b]. Hanc primam belli tubam audivit, quæ omnes Orthodoxos Duces, Principes, Regeſque omnes in militarem arenam evocabat. Nonniſi contra totius Orbis hoſtem, cum Orbe ipſo, cæpit militare. Ut palàm foret, quo animi robore, pectoris, viriumque firmitate eſſet, qui ipſo militiæ ſuæ rudimento, unum defendere, alterum poſſet mundum oppugnare. Quid verò *Vobis* par æqualeque, niſi Orbem *Ipſum* afferremus? Pridem quidem hic ſe *Vobis* totum addixit, nunc etiam fraterno ſanguine, atque illius Victoriis *Vobis* conſignatus eſt. At verò, annon, ipſo in ſinu & complexu Orbem teneatis? Quoties grande illud *Veſtrum*, & quod Romanis meritò Virtutis & Honoris Templum eſſe potuiſſet, illud inquam, *Veſtrum* in Urbe Gedanenſi Auguſtal [c] Regum Poloniæ Principumque Majeſtas implet, annon mundi ipſius hoſpitium eſt? Quanquam Ipſi *Vos* Veſtræque, ut latiùs habitare poſſent Virtutes, tanta illud amplitudine dilatârunt. Poſtquam Gallias, Angliam, Regna, totque Gentes perluſtraſtis, non unius populi leges moreſque, ſed ipſum Vobiſcum Orbem domum retuliſtis. Ipſa hæc Gentilitii [d] *Leonis Veſtri*, non alia, quàm mundi ſphæra eſt. Ita admotis illi pedibus indicat, eas propè *Vos*

[a] M. Alexandro.

[b] Bello ſacro ab impugnata Vienna.

[c] Ædes Gedani ſolitum Regum Poloniæ, Principumque receptaculum.

[d] Stemma Familiæ Leo ſublatis pedibus ſphæram

isse. Totis ei adhærens unguibus fixo intuetur Vultu: quòd à præclarissimis in Orbe toto vivendi exemplis, ne ipsum quidem unguem recedatis. Quin *Vestrarum* quoque sic de illo ipso curarum illustre simulacrum est, *Vos* ita ille affixus semper orbi, repræsentat. Non enim *Vobis* cum singulis tantùm Nationibus, Regnisque, sed ipso cum Universo res est. [e] A *Vobis* quotidie expectant Urbes, gentesque, quæ illas audire jubeatis. Per *Vos* totam pervulgata Europam, Asiamque *Fama* expeditur. A vobis *Rumori* committuntur, quæ spargat in populos, seu gaudia per illum, seu mærorem, utrumque Vestro arbitrio accepturos. Ita est, totum [f] PAULUS mundum literis instruit, alter quoque quid nisi orbem cogitet ALEXANDER? Avitus LEO *Vester* dum ob oculos Terrestrem Globum attollit, argumentum præbet, quòd parùm *Vobis* videamini bono publico soliciti, nisi omnium populorum, urbiumque negotiis prospecturi, utramque pupillam intendatis. Imò etiam ille tanto sub onere rectus, firmusque persistit non *Vos* ullis unquam imponendis ab orbe negotiis succubituros, nullis *Vos* etiam maximis illorum ponderibus inflectendos. Itaque diu *Vos* Famæ publicæ, diu omnium emolumento Regnorum urbiumque servent Superi, stareque *Vos* velint huic administrandæ Orbis Provinciæ immortales. Nos quanquam serò, seriò tamen in immortali Heroe *Fratre Vestro*, Vestram Vobis laudem afferimus; simul tamen cum Illo, quem ipse armis, *Vos* semper felicitatis suæ nuntio erigitis, Orbem Vobis exhibemus. Deinde nec quisquam facilè in turbido piscari gemmas, nec nos tanta fati illius tempestate obruti, *Vestra* tam profundo in luctu potuimus encomia perscrutari. Ignoscite itaq; quidquid hæc rude minusq; comptum in lucem dederit lucubratio. Luctui lucum magis, quàm lucem ambienti, adscribite, cui non incomptum esse, dedecus est. Colligere etiam velitis; quod si annum integrum unius lacrymis impendimus; ipsam demùm apud nos perennitatem, ***utriusque Vestri*** laudibus consecratam esse.

e Universale in Prussia Postæ arbitrium.

f S. Pauli Epistolæ.

Nomini Vestro



ADriaci Regina Maris,[1] cui victa laborat
Thetys, & undantûm censu famulatur aquarum,
Exsere sublimem patrio de gurgite frontem:
Haud visa, invitant meritos miracula vultus.
Quæ[2] Tibi, vicinas, consurgit, Sphæra sub auras?
Ereptus tellure globus? nimiiqué *Leonis*
Terga jacent porrecta solo? non ferreus illi
Lumina torpor habet: sævusqué minaxqué tuetur,
Aspectuqué omnes terrorem spargit in agros.
Ut, se totus adhuc jam fractos fundit in armos
Impetus? & vivæ pendent ex ungvibus iræ?
Ut, super abjectis torvus deliberat armis?
Tantùm non, positum prensurus surgit ad Ensem.
An sic Alcides, sublimi missus Olympo,
Te,[3] contra Lybicos, docturus bella, Gigantes
Monstrisqué Eois Terras lustrare nocentes,
Haudqué suo, subiens noscendus mænia, cultu,
Isto, quas olim Nemeæis induit antris
Exuvias, fido repetendas littore liquit?
Plus etenim, quàm ficta loquor: Tibi, Jupiter, omnem
Æthereo nutu subigendum destinat Orbem:
Jamné uno collecta Globo Tibi regna tueri
Imperat? & magno præbens exempla labori,
Vincendum propriâ proponit imagine Mundum.
Dicite? vos equidem poteratis Monte bicolli
Aspicere, unanimes, Heliconia Turba, Sorores;
Quandò hæc[4] *Euganeos* implevit Scena Triones
Invicti *GRATÆ*, Venetis,[5] *Leo* cæsus, in arvis,
Dum ferro Numen læsasqué ulciscitur Aras,
Procubuit: tantam sustentant littora Stragem,
Magnanimoqué graves attollunt funere ripas.
Illius hìc mucro jacet, illiusqué rotundi
Celsa Globi se Sphæra levat; quo, totius Orbis

1. Urbs Veneta, Adriatico Mari alluitur.

2. Stemma Domûs: Leo sphæram seu globum arrectis pedibus volvens. Hinc navâtâ bello Veneto strenuè operâ inducitur ipse, littore maris Veneti inter arma prostratus jacère, sphærâ, sublimi aëris loco, relictâ; quo illam erectus tenere pingitur.

3 Allocutio Urbis Venetæ.

4 Venetos.

5. Stemma Domûs: Leo erectus, pedibus globũ seu sphæram sustinens.

A

Pon-

Pondus, ſuppoſitos, rectus collegit in ungves;
Suſtinuitqué diu, dum mole & vulnere preſſus
Jam, ſublime decus, terris auriſqué reliquit.
Phæbe Pater, reliquas lacrymanti ſuffice vires:
Acclini mæſtum Parnaſſo porrige plectrum,
Et digitos immitte Tuos, & luctibus apta:
Quêis, cæſum fortis Patroclum flevit[6] Achilles:
Vel quibus ipſe gemens, plorantibus accinis Umbris.
Ut ſemel armato Belli ſucceſſibus Hoſti,
Et votum quoqué *Creta* fuit,[7] centumqué cupitis
Urbibus, Urbe, jugum ferale admovit, in una:
Expavit fatale nefas Europa, ſibiqué
Dædaleas Bellorum artes, Fabrumqué Gelonum
Senſit, damnatis[8] Labyrinthum texere campis;
Quo dubias implexa vias, ſuper impia caſtra,
Hoſtili gladio ſemel acclinaret utrumqué,
Jam victâ cervice, latus. Quin omnia mundi
Senſerunt ſe Regna peti, tumuloqué recluſo
Ad funus commune trahi; niſi Candia ſtaret
Non Urbes aliæ, non fortia mænia ſtarent:
Unius fallente pedes in ſangvine *Cretæ*,
Euganeus, ſua turbaret veſtigia, Mundus,
Percuſſâqué, gravem traheret, tellure ruinam.
O Regnis funeſta dies? omenqué nefaſtum
Æternis habitura notis! jam, *Candia*, victum
Inclinat ſternitque caput, muriſqué recluſis
Helleſpontiaco ſubmittit colla Tyranno.
Proh populis damnoſa lues! numeroſaque ſtrages?
Quot clades, ſub clade latent? ſimul oppida tota
In præceps concuſſa tremunt, Fatumque ſequuntur;
Et Turres urbeſque ruunt, & Regna fatiſcunt;
Imperiumque ſuâ vulſum compage laborat:
Quin totus terrâ, Venetus provolvitur Orbis;
Quæque uno compreſſa Sinu, per ſæcula ſervat,
Elidit percuſſus humo; tum, mole ſolutâ,
Complexu reddens priſci decora alta triumphi,
Omnes, ſangvinea exponit ſuper arva, Triones.

Di-

6 Achilles ad cytharam, mortem Patrocli ceciniſſe dicitur Homero.

7. Virg. l. 3. Æn. Creta Jovis magni medio jacet Inſula Ponto, Centum Urbes habitant.

8 Cretæ Labyrinthum Dædalus fabricaverat.

Viderat Aethereo, LEO[9] ſuppar Gloria, MARCO,
Hinc, emota ſuis tot Propugnacula vallis,
Abruptas Turres, illiſaſque Arcibus Arces:
Illinc exciſos Portus, merſaſque cruore
Cycladas,[10] & Summis æquata cadavera ripis,
Immenſam Regnorum cladem, Orbemque jacentem
Viderat, adverſâ præſtrictus lumina flammâ:
Utque diu preſſos tenuit formidine vultus;
Dum refugos oculos, renuentiaque ora retorquet,
Arrexit cervice comas, motâque coruſcum
Nutavit cervice decus, lapſumque minari
Viſa, coronatæ Majeſtas aurea frontis.
Ille ter, iratos, telluri defodit ungues;
Perque actas foſſas, tantum non inſpicit Orcum,
Unde ſibi ſua fata timet: ter mole ſupinâ,
Viſceribus ſuperacumbens, taciturnus inhæret
Prætento Campis vultu: tum pondere lento
Erectus, torvo meditatum murmur hiatu
Infremit, atque ipſas rugitu everberat auras:
„ Quid ſævum Fortuna ſtruis? quid cladibus inſtas?
„ Non ſimplex viliſque furor, tot vertere muros
„ Præcipiteſque ſuis Arces impingere Saxis?
„ Non uſquam ſecura quies; labefacta moventur
„ Oppida, cumque ſuis tumulantur civibus Urbes;
„ Ipſe ſuâ ruit Orbis humo, perque alta volutus
„ Funera, jam proprio tumulo vicinus oberrat.
„ Quæ tanti menſura mali! non effera Martis
„ Prælia! non ravco compeſcis tympana cantu?
„ Quis mihi, nunc uno tot diruta mænia caſu,
„ Totque Urbes & Regna levet? Mundique jacentem
„ Attollat tellure Globum? vel pace quietâ
„ Adſtruat? aut tantæ ſaltem fragmenta ruinæ
„ Inferat? & fractum mihi colligat impiger Orbem?
Finierat: ſilet omnis ager, tremefacta Leoni
Audiri quoque ſaxa timent; tum ſubſidet, imos
Advoluens ſuper ora pedes, mutoque ſilentes
Adfigit campo vultus, firmatque ſoporem,
Expoſcens tardam ad rorantia lumina noctem.

Sæpe

9. Stemma Sereniſſimæ Rei-Publicæ Venetæ.

10 Inſulæ, in Jonio & Ægeo-mari.

Sæpe quidem excutiens duram per membra quietẽ,
Armatus rapidusque suos procurrit in hostes,
Et Victor post bella redit; sed pectore fixo
Plaga vetus cladesque sedet: Stat vulnere tanto
Vulnus, & acceptam quoque strage rependere stragẽ.
Tandem post multos, lustris vertentibus annos,
Lenta quidem, non sera tamen, miserata jacentem
Euganei Fortuna Globum: furialibus armis
Prætumido, infaustos Othomanno commovet ausus,
Et defecturas in prælia suscitat iras.
Ille memor, longâ Mundum squallere ruinâ,
Nec belli cædisque satur; violentior instat,
Supremâ invictam suspirans clade *Viennam*.
Nempe suæ non vana ciet præsagia menti;
Austriaci si Gemma Throni præmorsa, palato
Hæreat, innumeris sitis excidat ultima Regnis.
Vix diræ fremuêre Tubæ; procul, æthere summo,
Horrificus ferit Astra sonus; Tellusque Polusque
Intremit, atque imis summus rensponder Olympus.
Audierat, moto Cælorum poste reclinis,
Non habitu quo nota prius, sed vulnere multo
Romuleam discissa togam, Lauruque virenti
Exarmata comas, & raptis squallida Vittis,
Relligio, lapsumque metu vix sustinet Aurum:
Jamque super pugno, mæstâ cervice recumbens,
Jam nudas exserta manus, Solioque Tonantis
Acclinata, graves protrudit pectore fletus:
„ O! qui supremâ Cælum ratione gubernas?
„ Et Terris sua fata moves! quid turbine misto
„ Res hominũ Superûmque cadant? si crimina Mundi
„ Ultricem meruêre manum; fac, fulmine jacto,
„ Infandas absolve minas, pharetramque repone:
„ Ipse Tuus Te tangat honos! namque, omine tristi,
„ Jam video Tua Templa rapi; Sacrisque revulso
„ Extingui data thura foco; Mystasque repressos,
„ Odrysiis cessisse suas stabulantibus Aras.
„ Sic loquitur perfusa genas, lacrymisque perorat.

Ecce

Ecce procul gemino noscendas Sidere Divas
Attollit radiatus apex: *Victoria* Laurum
Et palmis implexa manus; onerataque longam,
Quâ Terram Pontumque liget, *Concordia* Torquem;
Ut prior aspexit decussam fronde Coronam,
Afflictæ nova serta parat, lauruque recenti
Illigat, & meritos velat diademate crines.
Altera ponè, humeris scissos miratur amictus,
Et causæ novitate stupet, lustratque nefandum
Crimen, [11] discordi Regum mucrone notatum:
Ac, vultu bona verba ferens, solatia spondet
Proxima, nectendis communia vincula dextris,
Queis chlamydi protecta cadat funesta cicatrix
Tum famulo subvecta Noto, per compita Lunæ,
In terras sublimis abit: cùm proximus illi,
Aereæ regione viæ se Carpathus offert:
Substitit, & vastâ defixam rupe Catenam
Expedit; hinc longo sinuosa volumina gyro,
Subjecti per aperta soli, per [12] littora Vandæ
Ad [13] Rhenumque [14] Padumque trahit, dũ læta peracto
Tramite, jam Pyrenæas connixa sub Alpes,
Supremos nodos, scopuli per acuta reponit.
Illa procul micat, & gemino prætenditur Axì,
Et jungi cupidas in nodum colligit Oras.
Adstringi se Vesper amat, nec diffidet Arctos,
Optatam capit Auster opem; sentitque Vienna
Immoto se stare loco, dum Lechicus Ales
Austriacæ conspirat Avi, Venetusque prehensum
Immensa se mole [15] Leo promittit in Ensem.
Successu jam læta novo, & Socialibus Armis
Relligio, vinctas alterno fœdere Gentes,
Ad lituos, & signa vocat. Ruit agmine multo
Turba frequens, & Castra subit, pugnamque reposcit;
Nec vilis litat arma manus, spretusque cruorem
Mucro sitit; primus vaginæ Principis ardor,
Threicio fauces avidas promergere tabo.
Ipse [16] Pater venit Patriæ, fortissimus Hector;
Cujus ab aspectu, Mundumque [17] tuentibus armis,

11. *Religionis damna, à discordiâ Principum.*

12. *Istula Poloniæ* 13. *Germaniæ.* 14. *Venetæ ditionis Fluvius.*

15. *Stemma Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Leo, elato Gladio.*

Poloniarum.

16. *Invictissimus Rex Joannes III.*

B

Troja

Troja solo ruitura stetit, [18] fletuque subactus,
Qui lacrymas Orbi poterat, funusque minari.
Venit Sarmatici [19] Proles Invicta Gradivi
Urbs cui [20] Setinum, sublimibus ardua vallis,
Optavit se læta capi, fastuque remisso
Supplicibus facilem porrexit mænibus herbam,
Ipse, citus totâ qui jam donabitur Arcto,
Cui dotem quoque regna parant, victique Triones.
Erige [21] Te votis & lassas adstrue vires
Euganei Fortuna Throni, jam subligat aether
Felices adamante vices, quibus acta furenti
Turbine, restituas æterno Sceptra sereno,
Et lapsum, stabili componas cardine Mundum.
Ut! tibi veliferis prætexitur Adria castris,
Et pressis assultat aquis: ut! prælia [22] Ventis
Indicit per inane Leo! gladiumque minatur.
Nec paucæ veniunt lecto Tibi robore vires.
Innumeras ad Transtra manus, remisque lacertos
Accipis. Armatas sub velis devehit Vrbes,
Stans fortis pro classe [23] Cimon. Scit scilicet istud
Relligio, quo tempus eget; volat ipsa per auras
Et populis manifesta venit, stimulatque monetque,
Quos Athesis, quos Bætis alit, quos æquor utrumque
Alluit, & belli cunctis inspirat amorem.
Dumque ea diversâ Regnorum parte geruntur:
Istuleæ propè littus aquæ, quà [24] Balthica Thetis,
Succina, pro totis acceptâ messe carinis,
Insuetas despumat opes; jam nuntia belli
Fama, per æquoreos eliso murmure fluctus
Magnanimi *Gratæ* pronas sublabitur aures:
Audiit: o! quantis accendit Sidera votis,
Semotas audire tubas, gressuque citato,
Armorum data signa sequi, Bessoque perempto,
Vulnere felici, mortem famamque pacisci.
Stat *Leo* [25] protensis gaudens attollere plantis,
Ingentem super ora Globum: jam cætera ponit,
Et reputat ferro leviora; quod æstimat, effert.
In solis, pretium & pondus, sibi collocat, armis.
Hoc

17. Stemma Serenissimi, Clypeus
18. Vezirus, clade proximâ Illacrymatur.
19. Princeps Filius, Jacobus.
20. Auspiciis illius, Stephanopolis, Urbs Pannoniæ deditur.
21. Allocutio ad Venetos.
22. In velis navium.
23. Dux celebris prælio navali, apud Græcos, Plutarchus.
24. Gedani, Celeberimo Prussiæ Emporio.
25. Stemma, Leo erectus, prolatis in sublime pedibus, Globum seu Sphæram volvens.

Hoc Cælo levat, hoc sublimibus inserit Astris,
Quo, Turcas terrere potest, quo mittere cæsis
Vulnera, & infestam jugulis extundere vitam.
Nunc mundi Sphæram obtutu propiore refingens,
Non uni genitus Regno, se porrigit Orbi,
Et mundo prodesse cupit. Quàm sedulus, omnem
Circumagit molem, & subjectos versat in ungues?
Intus agit vultus, intrò sua lumina figit,
Ipsum, sollicitis oculis, inquirit in Orbem:
Scire cupit, quæ Terra suum nunc excutit hostem;
Quo campo Scytha victus abit, quo littore plorat
Barbarus, ereptis fluitantia vela carinis.
Vix hæret, quâ sistit, humo: pro Numine bella
Facturus, celso sese protendit Olympo.
Impatiens hærere loco, consurgit, & omne,
In bellum, perlustrat iter: quin, pronus in Orbem
Immensos proferre gradus, tardumque recensens
Ire viâ, rectos extendit in aëra passus:
In Thracum jugulos, ipsas celer ire per auras.
Non juvenem metus urget iners, non prima veretur
Classica, & ignoti tentanda pericula Campi:
Erigitur terrore necis, formidine vires
Accipit, & vitam generosâ in morte reponit;
Quâsecunque oculo libeat censore tueri,
Nîl dignum non Marte videt, quodque ingerat Astris
Et defensuris, Superos accommodet armis.
Frontem succendunt oculi, quibus Annibal olim
Supremam subiens celsæ Carthaginis Arcem,
Trans Apenninum, Cannas visurus & Urbem,
Ausonios tremefecit agros. Micat ore repando
Suada, suis armata minis, quâ, prima locutus
Prælia, jam totum Macedo conterruit Orbem.
Assurgunt gemini collo breviore lacerti,
Quos visos optasset Atlas, cùm pondere primo
Victus, Stellifero sese subduceret Axi.
Apta manus pugnæ; cui duræ Robora clavæ
Poneret Amphitryoniades, & protinus ipsum
Cederet Antæum, procul à tellure levandum,
Atque

Atque novo vincendum hominis ſuper aëra bello.
Inceſſus, non arte levis, non turbine turpi
Excuſſus, ſed ſponte fluens, facilique receſſu
Erectus, (veluti jam conſcia Sidera pulſet,
Et nixus meritis, munus cæleſte repoſcat)
Illum ſæpe tamen, ſi quis vocet Enſis & Haſta,
Præcipitat; tardumque putat, non fulmine lapſo
Ocyùs, aſpectis accurrere cominùs armis.
Ut quondam, Æmonio Chiron nutritor in antro,
Aéaciden, celſi deductum culmine montis,
Paulatim jubet ire, monetque vocatque ruentem,
Dum multo, properare negatum, infregerit uſu.
Ille diu monitus ſervat, paſtuſque Leonem,
Magnanimi, ſeſe tardâ fert mole, Leonis:
Ut videt, obtento Pelæum ſurgere telo,
Non ullo, præceps, retrò clamore tenetur,
Immemorique actus, per devia culmina, paſſu,
Antiquum poſt terga antrum montemque relinquit,
Et procul aſpectam Pelæi currit ad haſtam.
Quo reliquo inſcribā laudandum carmine pectus?
Illo uno, everſis antiqua per oppida muris,
Optaret ſe Sparta tegi; manibuſque levatum,
In tela & ferrum, rapido prætenderet hoſti.
Non unus, latet intrò animus, nervuſque Gradivi:
Hoc uno, gemini ſeſe poſuêre Metelli
Hòc Fabij, Druſique ſedent, forteſque Camilli,
Hâcque unâ, Heroum populus, ſe mente reclinat;
Totus, in immenſos bellorum ſufficit uſus.
Non vacat ad numerū; ſcribendaque Nomina ferro,
Relligio, jam nube ruens, ſubvecta Curuli,
Ipſius antè genas, defixaque lumina, ſiſtit;
Mirantemque, repentino prior occupat ore:
„ Quid lentus[26] tarduſq; paras? volucreſq; moraris
„ Erectâ Virtute dies? Terrâque, marique
„ Sub ſignis Europa latet, mundumque ruentem
„ Aſſerit, atque uno tot regna jacentia Scuto
„ Erigit, & raptos Terris inducit honores.
„ Cûi geſtis Invicte *Leo*? pedibusqué rotatum

26. Alluditur ad Leonem, qui erectis pedibus Globum tenet.

„ Attol-

„ Attollis per inane Globum? ne prælia differ:
„ Intra ipſos geris arma ungues: fac, utere telo,
„ Et pedibus jaculare Tuis: non devius ibis,
„ Quâ, vultus præmonſtrat iter, procul Axe ſupremo
„ Odryſiam feries Lunam, Cæloque revelles.
„ Sed ceſſet quanquam preſſis pila ferrea plantis,
„ Nec Scythico ruat acta polo; nîl iſta morabor:
„ Non ferrum, non arma peto, non tela requiro;
„ Fac paſſum greſſumq; move: fer cominùs ungues:
„ His viſis pallebit Eos, propiusque venire,
„ Impia Threiciæ trepidabunt cornua Lunæ.
„ Ac ſimul ut tanti obſerves ſpectacula damni:
„ Mundum iſto metire Globo; tot regna, tot urbes,
„ Afflictum poſuêre Caput; nuſquam integer hæret;
„ Diſiectus, fractuſque, per Orbem, quæritur Orbis.
„ Atque adeò longæ ſquallens torpore ruinæ
„ Quò non ipſe poteſt, propriâ ſub imagine tendit,
„ Atque Tuos ambit vultus, coramque videri
„ Aeſtimat, & totâ ſeſe Tibi mole revolvens,
„ Oſtendit ſparſis feralia vulnera membris;
„ Utque lacer procul intùs hiat! ne lumina torque,
„ Poſcenti radios, & lapſum fronte ſerenum:
„ Non oculo vultuque potes dimittere mundum,
„ Quà-Te-cunque obvertas, Te penes, aſpicis Orbem
„ Teque ſimul mundumque vides; quin, reſpice lapſū,
„ Et plantis admitte Tuis; par unica mundi
„ Ad tantos menſura ſinus; non ardua poſcit,
„ Cûi pedibus prodeſſe potes; ſi nixus ad aſtra
„ Perſiſtis, nec Te porrecto ſubtrahis Orbi,
„ Se Tecum jam ſtare videt, reliquiſque repoſtûm
„ Partibus, è mediâ caput erexiſſe ruinâ.
„ Dixerat inqué ſuam nubem, Cælumque relapſa eſt.
Ille â-lacer lætuſque micat; non gaudia pectus,
Non bellatrices capiunt præcordia flammas:
Ipſaque pænè, truci pugnæ mens liquitur æſtu.
Jam ſummum premit ære caput, jam caſſide vultum
Induit, & toto prætexit corpore ferrum,
Ferreus in Turcas, & non placabilis hoſti.

Ut

Ut ſenſit criſtatus apex, cervicis honorem;
Arrexit ſe criſta magis, caſſiſque refulſit
Splendidior, caſtris fulmen minitata Gelonis.
Atque trucem ſpirans invicto pectore Martem,
Ter rapit ingentem Clypeum; ter fervidus haſtam
Librat, quæ totum radicibus eruat Hæmum.
Jamque vibraturo telum, ſi meta ſtetiſſet,
Uno prona ſimul cecidiſſet Thracia caſu.
Nec mora: Magnificis ſurgentia Pergama Gazis,
Squallenti campo; nudæ Mavortis arenæ
Poſthabet; ex pugna titulos, ex pulvere Nomen,
Aeternam hoſtili ducens ex vulnere famam.
Cernitis? ut patrij linquit faſtigia tecti
Et properat feſtinus iter, curſuque citatos
Antevolat per aperta Notos. Jam quotquot hiantes
Occurrunt foſſæ, capitur menſura futuri
Vulneris in Turca: quot ſurgunt Montibus Orni,
Aut ſylvis quercus; promittunt grande Trophæum;
Cûi victas Orientis opes, tumidumque Veſyrum
Exutum Caſtris, valido defigat ab unco.
Jamque ſuper Veneti delatus littora Regni,
Ter Sacra Purpureo teſtatus prælia [17] Marco,
Et ferro, Superûm ſpretos ulturus honores,
Omnia, præcipitem rapit, in diſcrimina vitam,
Et certam per vulnus opem. Cùm turbine multo
Odryſius glomeratur eques, decuſſaque denſis
Sub pedibus ſe terra levat; ſtat, lumine torvo,
Pulveream obſervans nubem, gladioque rotato
Arduus, abſentem votis interficit hoſtem:
Aſpectoque pares cum pulvere, dividit ictus.
Ac veluti Pharii deſerto littore Nili;
Strymoniæ tolluntur aves, volat umbra per undas,
Perq; altû volat umbra nemus: procul aſpicit Auceps
Et certa ſimul arte nocens, ſequiturque notatque
Vibratas per humum pennas, paſſuſque volantes,
Dum totam rapit in clades, & funera turbam,
Fortibus inſidiis, & adacto in viſcera plumbo.
Haud aliter viſum properat ruiturus in agmen,

17. Venetiarum Patronus D. Marcus.

Et ſtricto prior enſe ſubit, dum cominùs hoſtem
Collato mucrone ferit; non ullus euntem
In pectus, tardare poteſt, dextramque morari:
Quà-ſe-cunquè ferens, jacit implacabile ferrum;
Certa venit clades, totumque in vulnere fatum eſt.
Quiſque datum, diro gemitu conſentit ad ictum,
Quiſque retrò moriturus abit, lapſuque ſupino
Vitæ relliquias in tartara verſus anhelat
It lætus Cælo clamor, geminatque triumphum
Campus, & acceptis reſpondet plauſibus Echo.
Ille tamen ſeſe, poſtquam necdum omnia vicit,
Non quidquam præſtare putat; finemque labori
Ponit, vincenti nullum ſupereſſe laborem.
Non illum duræ belli fregêre procellæ
Non anni læſêre vices, non frigore ſævo
Bruma minax, nimiiſque armata caloribus æſtas,
Juſſit inexhauſtum vitæ flexiſſe tenorem:
Sêu gravis hibernam profundat Aquarius Urnam,
Sêu ferus aſſiduo decertet Sirius æſtu,
Scit Marti ſervare fidem, campoquè maligno
Invictum firmare gradum. Non Vere tepenti
Algentes ſuſpirat aquas; ſudore rigatur
Quem totâ de fronte bibit: renuitque ſitire
Biſtoniâ præter fuſum cervice cruorem;
Illi poſtponit fontes, cyathoſque Neronis;
Et gemmas Cleopatra Tuas, nectarque Deorum;
Et quodcunque Diis famulo Ganymede negatum,
Servatumque Jovi, radiantia dolia condunt.
Non hyemem ſub pelle domat, tectoque repellit,
Accenſoque foco tepefactis mitigat auris.
Ipſe ſuo plùs igne calet, quàm flamma Veſevi
Ardeat, aut fulmen Lyparæis æſtuet antris.
Tota levis ſibi ludus hyems: riſuque refutat
Quod cuncti ſubiiſſe gemunt: ſtridore fatetur
Jam caſſis ſenſiſſe gelu, tamen ore ſereno
Excipit immites adverſo Aquilone furores.
Plus nivium in facie, quàm canus ſuſtinet Atlas.

Non unquam rigidas enervant otia curas;
Tota quies, aciem ſtricto limare mucroni,
Aut iterum ſaxo nociturum ſubdere telum,
Aut ſtantem ſummo Caſtris intendere vallo,
Fulciríque haſtâ, poſitoque incumbere ferro.
Si quando duros admiſit ceſpite ſomnos;
Cêu Leo, dum mediis laſſus procumbit in arvis
Illi camporum ſtrages heſterna recurrit,
Et ſomnus quoque bella facit, nec morte ſepultos
Fert oculos, vigili pertractat mente triumphos.
Non humeris unquàm fulgentia detrahit arma
Atque Sagum Bellona Tuum; non caſſide crines
Exuit; intrepidum munit lorica ſoporem,
Immodicoque ſui noctem ſplendore laceſſit;
Et tremulam lucem vibrantibus adſerit herbis.
Quiſque procul, magnâ gladii deprênſus ab umbra
(Quo latus invictum ſervat, dextramque tuetur)
Cædis init numerum, cenſetque à pondere vulnus;
Quo, ſi vel primum ſubeat Titanas ad ictum,
Cuncta ſimul nimij ſolvat ſpiracula colli,
Atque ipſum, juncto qui Pelion extulit Oſſa,
Percuſsâ frangat penitùs cervice, Typhæum.
Nunquã, prima brevẽ perrumpunt claſſica ſomnũ:
Ante tubam ſurgens, vigilat, ſoliſque cubile
Increpat, & tardos Auroræ ſuſcitat ignes:
Nec medio expectans invecta crepuſcula cælo,
It tacitis intentus agris, hoſteſque requirit:
Quêis viſis, ſuperaccurrit, nec opinaque ferro
Colla metens, linquit truncos poſt terga cadentes:
Atque eadem rurſus ſe per veſtigia, retrò
Exigit, inſpectoqué trahit ſolatia Campo,
Cûi matutinos deterſit ſangvine rores,
Aeternumque dedit, Turcâ fugiente ruborem.
Hinc ſuper hoſtiles abiens aſſultibus Arces,
Non uſquam, infauſto relegit veſtigia greſſu:
Stat ſummum properare decus, conſcendere muros,
Quà, prima eſt acies, quà longæ turba coronæ;
Quà veniunt toto denſata pericula nimbo.

Fata

Fata probant animos: & iniquo turbine cogunt
Quinquè ſuper [28] lapides; immanes orbe molares,
In tutum, molita caput; non vulnera damnat
Quêis numerus ſacer eſt: tot ferre decebat,
Quinquè repercuſſis *Franciſcum* [29] ſtigmata membris,
Et laudum reſerare pares cum vulnere fontes.
Quin auctas ipſo referens diſcrimine vires,
Non gladios, non ſaxa timet, non dira veretur
Fulmina, & immiſſas, ab ahena fauce, procellas.
In ferrum flammamqué ruit, cunctoſquè trucidat
Quos ictu propiore ſubit, dum mœnia cæſis
Eripit, & pulſos cogit viciſſe fateri:
Prolatâquè manu, vicinas territat Urbes.
Sic Leo dum Phrygij tremefecit paſcua campi,
Et ſtabulis nova bella ſtruit, ſubit ordine multo
Paſtorum numeroſa cohors, ſtipatquè ruentem,
Et paſſum clamore vetat, teliſquè rotatis
Inſtat, & hæſuras venienti porrigit haſtas.
Ille, oculis lapſos, revocans in tergora villos,
Securum rimatur iter, quæquè aſpicit arma
Cuncta ſuper, generoſus abit, dum verbere crebro
Elapſus, ſparſoſquè adigens ſua tela per hoſtes,
Triſtibus armentis, fractoquè potitur ovili,
Et ſylvis prædas, & luctus dividit agris.
Sic laurus momenta notant, palmaſquè recentes
Scit quævis numerare dies, menſeſquè triumphis
Conſtant, & proprium quævis habet hora trophæum.
O terris optate *Leo*! Te ponè jacenti
Stat mundo promiſſa ſalus, ſontiquè Tyranno
Exitium ferale parat: quid gaudia differs
Regnorum? propera, lapſis ſuccurrere rebus,
Suppoſitiſquè gravem pedibus compone ruinam.
It *Leo* perpetuos mundi porrectus in uſus
Attollens procul axe pedes, ungueſquè recurvos
Accelerent, ſi regna velint: his, mole reclini
Aequatos habitura ſinus, procul aſpicit Orbis
Hoſtili proſtratus humo, vireſquè requirit,

28 in obſidione, quinque grandibus Saxis obruitur.

29 Alluditur ad illius Nomen.

D Niſu

Nisu felici, visos abiturus in ungues.
30 Urbes Turcis ereptæ. Undiqué [30] Tartareis arrectæ faucibus Vrbes
Inclinant tremulis turrita cacumina pinnis
Supra istos ventura pedes. Hinc Nauplia lætas
Protendit capienda manus; gratantur Athenæ
Officio superesse suo, vinciqué precantur;
Illinc divitiis opibusqué effulta Corinthus
Plus dives victore suo est; Patræqué subactæ,
Victaqué Naupactus, campo lætantur aperto,
Hæc impressa suis vestigia cernere muris.
Huc, Arces placidâ nutant statione reponi,
Huc labi pronis deposcunt Oppida vallis,
Et passus ambire suos. Huc tenditur Isthmi
Ambitus, & stricti se pandunt claustra Lechæi:
31 Porto Lione. Huc avidus tutas cogit [31] Pyræeus undas
Atqué omnis portus desiderat esse Leonis.
Latè, disiectæ se tollit stragis acervus
Et sensim per membra levat, jam culmina Turres
Accipiunt, lapsis redeunt fastigia Templis,
Priscaqué depulsos invitant mænia cives,
Atqué simul veteris servant confinia juris.
Restituunt se cuncta sibi, pars addita parti
Congeries antiqua micat, refluoqué cruore
Eruta, conspicuas tellus erumpit in auras.
Ille, superpositum securus sustinet Orbem:
Tot circumfusas assertis Cycladas undis
32 Morea seu Peloponnesus juxta Plin: l: 4 & alios, similis platani folio. Tot propugnatas [32] Pelopëia littora terras,
Cêu *Folij* leve portat onus, non certiùs usquam
Quàm visura suis florentia sæcula plantis.
Hoc demùm erecto Decus est sublime Leoni;
Non vili effictus ferro, spretoqué metallo
Sed toto gravis orbe globus: mundiqué recepti
Sphæra, suo latè claudens maria ampla recessu,
Integraqué immenso convolvens regna rotatu.
Tota suos, Terrarum machina, surgit in ungues.
Ipse suum, portare potest, quem vindicat Orbem.
At nunquam longo constans fortuna favori est:
Ipsa suas fastidit opes, & munera damnat:
Nil

Nîl magnum sinit esse diu; data culmina, sævo
Exagitat lapsu: tædet, non esse nocentem.
Qui nunc, elatâ subnixus mole, ferebat
Invictum super astra caput; non passa videre
Fata, superstantem subiectis unguibus Orbem,
Ante pedes hærere suos, palmisqué paratis
Victorem superesse suum, jam pondere lethi
Oppressum, funus terris luctumquè remittunt.
O Regnis invisa manus! non viribus unquam
Usa Tuis? sed Tænarij conamine Ditis
Et Furiis librata tribus? quæ, vulnere diro,
Impia prostratum distendis in arva Leonem.
Ut procul immensâ sparsus tellure fatiscit!
Sentit campus onus, vastæquè admensa ruinæ
Terra tremit, queriturquè premi; cêu, concidit olim
Pars Eryci decussa suo, nimioquè ligoni
Defossus subsedit Athos. Jacet ipse, cruentâ,
Terga super, resupinus humo: manet usquè relictus
Collapsæ cervicis honos, non sanguine fuso
Degener, aut refugo tenuatus lumina vultu,
Ante suos videt arma pedes, hostiqué Gelono,
Accedat tantùm, gladiumquè unguesquè minatur.
Quin, curis, à cæde, suis oneriquè superstes
Torquet hians oculos, dejectaquè fortiter ora:
Ereptæqué Globum terræ, sphæramqué remissam
Aspicit, & mundo non exsatiatur amato.
Scilicet, una, suæ par hæc est, cladis imago:
Qui non Marmaricis tantùm depulsus arenis
Et Pœnis ereptus agris, aut Caspia lustra
Armeniumvè nemus, Getulaqué deserit arva
Aut parvam, acceptâ propugnat morte, Cleonen;
Aut Idâ dejectus obit; sed sanguine tanto,
Omnia præclaris tutatus regna triumphis,
Pro toto cadit orbe Leo. Sensêre ruentem
Latè defensâ stantes regione Triones:
Omnia pervasit tristis tentoria luctus.
Bella gerunt lachrymæ, pugnat cum milite mæror,
Et functum plorare jubet; Quis cedere nolit,
Excu-

Excutiatquè pio luctantia frena dolori?
Ferales ſtrepuêre Tubæ, lentoquè fragore
Triſtia, perculſas ſpargunt lamenta per aures.
Nîl lætum jam caſtra decet; niger alligat enſem
Balteus, inversâ tellus defigitur haſtâ,
Attonitaſquè trahunt Mavortia ſigna cohortes:
Non unum ſibi dêeſſe putant, ſed funere tanto
Innumeros cecidiſſe gemunt. Minor ille phalangi
Extat apex, cui raptus abit: cêu nocte ſerenâ
Invida lucentem nubes illapſa ſub Arcton
Unum Parrhaſiis, ſidus ſubtraxerit Aſtris:
Jam rarus temone nitor, mæſtæquè reciſo
Igne faces; tardæ volvuntur in ordine ſtellæ,
Orbatumquè ſuis ſibi luctibus annuit agmen.
Ipſe *Leo* Veneti referens inſignia ſceptri,
Vix primus triſtem litui ſonus impulit aurem,
Impatiens audire nefas, per devia rura
Solicito properat curſu, cæſumquè requirens
Non reſponſuras rugitu interrogat auras.
Ut videt, exhauſtum nequidquam, vulnere pectus
Immotumquè malis; proſtantem fronte furorem,
Oraqué torva minis, poſitumquè tuentia ferrum
Tantùm non, iterum facturum bella cadaver;
Qualis, ubi ſævôs percuſſus concidit hoſte,
Quo non è multis quiſquam robuſtior alter
Viſus, in externos moturus prælia campos,
Maſſylo comes ire Patri, dum cernit abeſſe,
Quæſitumquè diu funeſtis invenit agris,
Sanguineo cecidiſſe toro, ter funere viſo
Territus, avertit dejecto lumina vultu,
Et dirum meditatur opus, facinuſquè revolvit;
At memoranti aliis conſumpta pericula pugnis
Nec totas unquam poſitas in vulnere vires,
Spes animo, trepidiſquè redit fiducia cæptis
Nunc propius veniens, & ducta nare propinquans,
Si quis adhuc ſupereſt, vitæ ſectatur odorem:
Nunc imâ proſtratus humo, ſubit ora jacentis,
Advolvitquè pedes, plantâque attrectat aduncâ,
Et

Et vocem vitamqué rogat; Facit omnia, ſurdæ
Haud quidquam valitura neci, faſſuſqué dolorem,
Permiſtos gemitus mæſtis rugitibus edit:
O triſtes Gradive vices! quo crimine rerum,
Sic meruit de luce rapi? quis fortior illo
Ire per hoſtiles adverſo pectore turmas?
Per proculcatas adverſo robore Lunas?
Vel, ſi Phlægræos opponant caſtra Gigantes,
Vel, rupto tonet axe polus. Quis firmior alter
Immenſam ſolus populorum ferre ſalutem?
Quid non admotis valeat librare lacertis?
Qui totum poterat defixis unguibus orbem
Et Mundi volviſſe Globum? Nihil improba præſtas
Inferiis Fortuna Tuis: vix contigit ulli
Tam pulchro caſu, memoriqué excedere letho:
Brachia bina Atlas portando ſubdidit axi,
Huîc, tutus ſolo Mundus pendebat ab ungue:
Ille ſtatim lapſi damnavit pondera cæli,
Et nimium diviſit onus: Quantum iſte refugit
Impoſito ſuper Orbe queri? lætumqué putavit
Impactum tellure Globum, molemqué rotatam
Nonniſi vulneribus, ſummoquéremittere fato?
O mundi tutela mei! proh quanta trophæis
Decedis jactura Tuis! Tu fortibus armis
Sublimem mecum poteras invadere [33] Phæſtum
Et [34] Gnoſſum captam, fractis eludere telis
Totqué Tuis ſummum nomen factura Triumphis
Subdita Minojæ conſcendere mænia Cretæ.
Jam totos, lethale gelu deſcendit in artus,
Et venis calor omnis abeſt, cui prodiga totam
Subjecit Bellona facem, flammâqué ſerenâ
In pulchrum Pietas armorum eduxit amorem.
Collapſi riguêre pedes, ungueſvé recurvi,
Quêis toties, medios ibas ſecurus in hoſtes,
Viſaqué Biſtoniæ Lunata armenta Dianæ,
Indecori dare terga fugæ, vel cominus actis,
Armatâque auſis opponere cornua fronte:
Suffixo laceras rapuiſti tergore Lunas,
E Suffu-

33 Civitas & mons ejuſdem nominis.
34 Civitas proxima Cãdiæ celebris jaculis Sagittarum.

Suffusumqué suo delêsti stemma cruore.
Nunc ego quo meritos attollam funere Manes?
Quos titulos & busta dabo! quo munere, summum
Umbræ victrici persolvam gratus honorem?
Huc duri pretiosa sinus fragmenta [35] Carystos!
Huc vitam pictis imitantia marmora venis!
Par Cælo consurgat apex! tumuloqué repôsta
Euboicus tegat ossa lapis, sic, conscia rupes
Impensis, [56] inflicta rependes vulnera saxis.
Huc hederas [37] Taygete Tuas, floresqué Cytheron!
Huc dulces asperge thymos sublimis Hymette!
Huc Parnasse omnes inclina à culmine lauros!
Totumqué æterno corpus provolvite Veri,
Ut superaccumbant amplo ornamenta sepulchro,
Quæ vivo poterant pulchri decus esse Trophæi.
Sic jubet & lacrymis irrorat grandibus ora:
Ipsa, *Tubâ* positâ, magnoqué accincta ligoni,
Hîc ubi conciderat pugnâ propiore [38] Corintho,
Montibus exesos operi scrutata recessus,
Aêre [39] Corinthiaco sublimem *Fama* Colossum
Attollit, pulchris cælatum prælia signis,
Monstrantemqué omnes serie fulgente Triumphos.
Nec quidquam potuit meditatam fallere dextram,
Et testem fugisse stylum; si plurima quando
Acta gravant, cumuloqué premunt subeunte Triũphi
Nec cunctos memorare, vacat: juvat ipsa laborem
Relligio, causamqué monet, quâ signa secutus
Extera difficili miles sudavit arenâ,
Et vitam strictis Fidei despondit in armis.
Enumeratqué Urbes captas, arcesqué receptas;
Prostratosqué hostes spoliis accenset opimis,
Hoc unoque brevi, complectitur omnia lesso:
Hîc *cecidit Veneti Leo Victima Grata Leonis.*
Cuncta notas memores, sulco duxêre profundo:
Collucent sculpto laurus palmæqué metallo
Pulcher honos cæso, victis opprobria Turcis.
Magnanimi Fratres, patriæ solatia stirpis
Majestatis Amor, Procerum Populiqué voluptas!

35 Nigroponte urbs celeberrima marmore.

56 Hujus obsidione quinqué gravibus Saxis impetitus.

57 Loca quæ bello & victoriis peragravit.

38 Ad Corinthum conflictu glorioso cadit.

39. Urbs ære suo laudatissima Nobilis ære Corinthus: Ouid: Metam: l. 6.

In

In vestrum, sese scindit, sua gloria, Nomen,
Atqué tribus, commune decus. Dum Regna Pelasga
Expugnat gladiis, & Achivas vindicat urbes
Jam [40] licet in geminum Tua curratepistola Mundum,
Jam licet & Grajo Tibi scribere [41] Paule Corintho
Magnus Alexander tantis quoqué grandior ausis:
Proxima Thessalia est, Macetûm quoq; proxima tellus,
Pellæo [42] Juveni, patriam quæsivit & orbem.
Quid juvat æterno demergere lumina fletu
Et lætum temerare diem; date gaudia vultu
Et reduci detergite tristia nubila luce!
Jam satis est Veneto defletum obiisse Leoni;
Sic, quidquid dolor omnis habet, quæ maximus ipse
Imperat, ex illo traxit suspiria luctu,
Et mundi lacrymas, lacrymis invenit in istis.
At vos [43] Euganei, *Princepsqué Patresqué* Senatûs,
Nil est tot, vestrum populos abiisse sub ensem;
Tot domuisse alto fusas super æquore gentes;
Plus aliquid Fortuna parat, semperqué veretur
Se donasse parum, donec semel omnia donet.
Ite & sublimes [44] Epidauri scandite muros
Et vestro reliquam gladio superaddite [45] Chalcin
Jam fluit Euripo tellus, Thetys incita fluctu
Non reperit quod quærit iter; quacunqué recurrat
Undiqué plectendum vestro latus objicit ensi
Ite & Cressæos armis evadite fines.
Jam vestros aditura manus [46] Gortynis arundo,
E mediis assurgit aquis, renuitqué, Gelonis
Captivo, perstare lacu, limoqué teneri.
Jam pomis fecunda [47] Cidon, tremit arbore quavis,
Frondibus immisso vix hærent mala timore,
In vestrum lapsura sinum; tandemqué mereri
Exoptant placidum post fortia prælia gustum.
Jam metuit quoqué Creta capi, super [48] æthere fatũ est:
Ipsa suum perculsa timet, cui subjacet astrum;
Jam toto Chiron telum connititur arcu,
Et Thracum fera colla, suo sibi destinat ictu.
Vel sic, desertis exibunt mænibus Urbis;

40 Generosus Dominus Paulus Grata supremus per Prussiam Postæ Præfectus.

41 Divus Paulus ad Corinthios.

42 Pella Alexandro Patria.

43 Allocutio ad serenissimã Reip. Venetam.

44 Malvasia.

45 Stretto Negropont.

46 Civitas vicina Candiæ optimis Sagittis.

47 Proxima Candiæ urbs præclarissimis pomis.

48 Creta seu Candia sagittario subjecta Vid. Manil. l. 4.

Vel

Vel cuncti, irato procumbent victima Cælo.
Ite! Triumphalem Thetydi propellite Claſſem!
49 *Stemma Venetorum Leo libro & gladio inſtructus.* Qui [49] *Libro Ferroquè* gravis *Leo* ſurgit [50] in auras
Adverſos ſecat ungue Notos: fugit Africus enſem,
Et timet armatis Boreas incumbere velis.
50 *Super velis naviũ.* Triſtibus, aſſerto, depulſis aëre ventis,
Gaudet ab Aeolio prodire Favonius antro,
Et mitis Zephyrus placidis illabitur alis,
Ac circùm, facilem certant ambire Leonem:
Attollunt, mulcentqué jubas, blandiqué precantur,
Inſcribat patriis famularia Nomina Faſtis.
Ire velit? toto ſua carbaſa ſpargere Ponto,
Optatos habitura ſinus, fluctuſqué ſecundos
Semper, & impulſis æquor placabile remis.
Ite & vicinâ naves immittite Cypro,
Nicoſiæ removete jugum, pelagoqué cruento,
Threicio reddat [51] Salamis ſua ſæcula Xerxi.
51 *Famagoſta.* Ite per Euphratem, per victi littora Nili
Per ſtantem nivibus Phaſim, gelidumqué Niphaten;
Ite, & ſepoſitos, Scythiæ penetrate ſub ortus:
Auroræ luſtrate domos, ipſumqué cubile
Solis, & extremas Euri pervadite metas.
Unum, armis Vobis infractus *Grata* reliquit;
52 *Omen Invictiſſimæ Reip. Venetæ.* Spondet adhuc facilis reliquum victoria [52] Mundum
Occiduiſqué plagis Terras adjunget Eoas;
Dum dextrô, lævôqué ſuum connixus in Orbem,
Utraqué victori ſe advolvet Sphæra *Leoni.*

